

ORATIO

ANNIVERSARIA

In THEATRO Collegii Regalis Medicorum *Londin.* &c.



ORATIO
ANNIVERSARIA
IN
THEATRO Collegii Regalis
MEDICORUM
LONDINENSIUM;
Ex HARVÆI Inſtituto,

Habita Die 18° OCTOBRIS, 1738.



LONDINI:

Apud GUL. INNYS & RIC. MANBY, illuſtriſſimæ Regiæ Societatis Typographos.

MDCCXXXVIII.



DOCTISSIMO VIRO

THOMÆ PELLET M. D.

PRÆSIDI Dignissimo,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

Collegii Regalis Medicorum

LONDINENSIUM;

HANC

ORATIONEM

Illorum Hortatu editam,

Eâ quâ par est Observantiâ,

D. D.

Johannes Newington.



ORATIO

ANNIVERSARIA, &c.



I eorum, qui in hac inclaruerunt Palæſtra, Vobis, Socii ornatiſſimi, jucunda ſemper, nec infructuoſa ſit recordatio; aliis certè nec arrogans videri poteſt, nec ſuperba, hominum de Vobis, de Literis, de Re-publica optimè meritorum, ſolennis hæc noſtra Commemoratio. Quod munus, à clariſſimo Præſide mihi demandatum, minùs defugi-

defugiendum putabam, quòd hoc argumentum tractantem nec deficere ſolet orationis materies, nec fido narratori veſtra deeſſe benevolentia.

Hæc domeſticæ virtutis exempla, quæ quotidie admiramur, in medium proferri quotannis voluit *Harvæus*, plurimis ipſe virtutibus abundans, quòd ſine invidiâ dilexit alienas; cujus ſummæ ſapientiæ cùm in cæteris rebus, in nulla magis vel conſilii vel amoris apparent indicia, quam quòd hodiernum diem anteceſſorum noſtrorum memoriæ ſacrum poſuerit. Hanc enim ſolennitatem inſtituit Vir ſagaciſſimus, non ut Oratoris voce ſuum decantaretur nomen, quod nullo indiget præconio, ſed ut majorum pulchrè facta, auribus animiſque noſtris inculcata, non ſolùm admirationem, ſed imitandi deſiderium excitarent; ut quorum imagines undiquaque affixas

affixas intuemur, ad eorum exempla noſtros effingamus mores, eundemque laudis & laboris curſum aſſequi enitamur. Præclarum hoc ſanè conſilium! quo nihil, vel ad animum beatiſſimi Senis explendum, vel ad noſtros accendendos excogitari poteſt aptius. Quid autem eſt æquius, quam per quos ita ipſi profecimus, ut aliis opitulari poſſimus, eorum beneficentiam grato animo commemorare? Quid honeſtius, quam ut, qui fontes Medicinæ & omnis politioris literaturæ penè intercluſos aperuerunt, in eorum laudes noſtra redundaret Oratio?

E tantâ autem clariſſimorum hominum copiâ, quem priùs deligendum putem, quam veſtrum Conditorem *Linacrum*? qui cùm primus in hunc locum vos convocavit, primas laudationis jure ſibi vendicat. Cujus animum ſcientiarum ſtudio flagran-

tem cùm domi non erat quod expleret, in exteras gentes ille literarum mercator properavit, & omni pretiosâ supellectili onustus divitias animi undique conquisitas in gremium patriæ redux effudit. Cujus ea fuit eruditio, in omni ferè studiorum genere exercitata, ut viros sui sæculi primarios, cùm doctrinæ copiâ, tum sermonis elegantiâ, longè superaret, & ad veterum usque scriptorum laudem pervenisse putaretur. His naturæ dotibus, his doctrinæ subsidiis instructus, & ad ardua quæcunque munera capessenda quam maximè idoneus, hoc satis sibi laudi fore existimavit, si rem medicam tractando augeret, auctam stabiliret, & ad varios hominum usus & necessitates accommodaret.

In Professoriam medicinæ cathedram evectus, insigni cùm gravitate & differendi subtilitate eam sustinuit provinciam, neque

que minorem ſibi famam reportavit, quam Academiæ attulit dignitatem; unde nominis ſui celebritate in aulam evocatus, utraſque partes, & valetudinem *Arthuri* principis tuendi, & mores formandi, tam feliciter explevit, ut in dubio ſit utrùm ſcientiis inſtructior, an virtutibus ornatior eminebat.

In his muneribus fungendis occupatus, maturè jam tandem, ad id perficiendum quod diu meditatus eſt, omnes cogitationes animique vires contulit; ut, per quem bonæ literæ artis ſuæ comites & miniſtræ amiſſum recuperaverant ſplendorem, ejuſdem ope & auxilio medicinæ priſtinus redderetur nitor. Vidit, & vidiſſe doluit, neſcio quos, de fæce, de triviis, indoctos ægrorum ſalutem ſummâ cum audaciâ in ſe ſuſcepiſſe, quibus ſublevandis vix pares ſunt junctæ doctiſſimorum vires. Vidit,

& acerbè tulit, in eum ſe locum fuiſſe adductum, ubi vel quoddam cum peſſimis, quibuſcum bellum gerendum eſſe ſempiternum duxit, artis habendum erat conſortium, vel ſalus optimorum turpiter deſerenda. Hoc non ſivit miſericordia, illud reſpuebat animi magnitudo; in quo diſcrimine verſatus, id egit, quod probi eſt & honeſti, dum ſuum civibus opitulandi officium præſtare, & medicorum pariter vellet conſulere dignitati. Te igitur, Rex munifice, Te, *Henrice*, implorabat; non malè judicans, qui religioni laboranti ſubveniſti, qui literarum fautor acerrimus exſtitiſti, medicinæ etiam commodis Te non defuturum. Probè enim noviſti, ſcientiarum Profeſſores, quò arctiori ſocietatis & amoris vinculo conjuncti, eò uberiores ingenii & induſtriæ fructus edituros. Neque tua Te de noſtris rebus fefellerunt auguria; tot enim, in hoc Gymnaſio exercitati,

tati, ita in ſuo ſinguli genere ſeparatim elaborârunt, ut veluti *Æneæ* arma *Vulcani* manu fabricata, non modò nitida & ornata prodierit Medicina, ſed mente ferè divinâ efficta, & ad impetus morborum propulſandos quam maximè accommodata.

At parùm fuit *Linacro*, hoc literatorum ſodalitium gratiâ ſuâ ſtabilire, ſuis laboribus augere, eorumque conſiliis intereſſe, quod illi cum aliis commune, niſi, quod proprium ei & ſingulare, ipſe primus naſcentibus Comitiis præeſſet. In quo munere obeundo, cujus illi facultas videbatur pulcherrima, quamdiu per ætatem licuit, continuò verſatus, ut alii itidem illius memoriam retinerent gratiſſimam, ſingulari prudentiâ effecit. Cùm verò apud vos diutiùs commorari non poſſet, ædes, quarum copiam ad conſilia medica com-

miſcenda vivus fecerat, moriens teſtamento legavit; ut non modò nullis ſuæ vitæ terminis circumſcriberetur, ſed in omne ævum benevolentiæ fructus permaneret.

Quis igitur hunc laudatum virum laudandus ipſe ſubſequetur, niſi qui illius amantiſſimus monumento mortuum decorabat, qui veſtrûm ſtudioſiſſimus illius veſtigiis penitùs inſiſtebat, ſummâ & doctrinæ & ingenii gloriâ præditus *Johannes Caius*? Neque enim gratius, aut præſtabilius quicquam ſe potuiſſe judicabat, quam ſi illum, qui veſtris rebus promovendis valdè incubuerat, omnibus modis ſibi ad imitandum proponeret. An ille in *Italiam* peregrinatus eſt? in idem literarum domicilium hic feſtinavit, ubi græcis literis inſtitutus alios non longo intervallo publicè inſtituebat, ut, quemcunque laboris fructum collegerat, multo cum fœnore non ingratus

ingratus rependeret. An ille domum reverſus ſui animi benevolentiam in Vos totam profudit? neque diſſimili hic amore proſecutus eſt; quem veſtri Juris tenaciſſimum, ſtatutorum obſervantiſſimum vix infirma ab officio abduxit valetudo, vix appropinquans ſenectus avocavit. Ea nimirùm interceſſit morum ſimilitudo, ea voluntatum & ſtudiorum conſenſio, ut licet utriſque idem contigerit honorum decurſus, unum eundemque utriuſque perſonam ſuſtinuiſſe, vix alterum alteri ſucceſſiſſe crederes.

EXIMIUM itaque hunc hominem, cùm ob linguarum peritiam, & medendi ſolertiam magnoperè demiror, ob hoc præcipuè colendum eſſe cenſeo, quòd non ſolùm præſentibus, ſed futuris commodis proſpexit, quòd apud *Cantabrigienſes* literarum ſedem ſtabilivit, unde profluxit uber-

rima virorum copia huic ſocietati ſtudiis & laboribus ſemper profutura, ubi tantæ celebritatis & doctrinæ fundamenta poſuit nullâ memoriâ tacendus *Harvæus*.

Caio igitur, quòd Virum inſigniſſimum literis erudiendum eſſe curavit, *Caldwaldo*, quòd illius in anatomicis diſquiſitionibus ſtudium excitavit, debitos honores perſolvamus. *Caldwaldi* neſcio utrùm magis admirer in pecuniis erogandis liberalitatem, an in deſtinandis felicitatem; cujus multis & præclaris virtutibus hic laudis cumulus accedit, quòd ex illâ, quam fundavit, Prælectione Chirurgicâ ingens *Harvæi* emanavit gloria.

Harvæo naturæ receſſus intimos ſcrutanti, non opinionum commenta, neque futiles quorundam conjecturæ, ſed ſumma in diſſecando induſtria, & accurata huma-

næ fabricæ contemplatio veritatis aditum patefecerunt. Probè enim ſenſerat, non alio quam ex anatomico fonte morborum ſedes eſſe petendas, neque malè intellecto ſanguinis recurſu, poſſe anatomiam ullo modo illuſtrari. Ad hunc igitur dilucidandum ſe accinxit, in hoc elaboravit, donec ſuum pulcherrimum inventum certis experimentis & indubitatis rationibus confirmatum & doctiſſimorum aſſenſum allexerat, & linguas compreſſerat invidorum. Quantas medicinam exercentibus utilitates attulit, neque propoſitum nobis eſt hoc loco, neque dicere neceſſarium; aliorum inventa ex hoc unico derivata, eorum præcipuè qui hæc intra mœnia ſtudiis anatomicis præcelluerunt, ingrati eſſet animi non commemorare. Cùm verò ſuum Hepati uſum tribuit *Gliſſonus*, ſuos ſingulis glandulis *Whartonus*, cùm cerebri mæandros feliciter inveſtigavit *Williſius*, cor-

 diſque

diſque fabricam uberrimè explicuit *Lowerus*, anatomiam, illam medicinæ altricem, à noſtratibus mirificè excultam non immeritò gloriamur; ſed huic omni, quod illuſtravit aliorum diligentia, ſignum aliquod & quaſi facem prætulit *Harvæus*.

Hæc communia nobiſcum beneficia exteræ collaudabunt gentes; ſed ea, quæ nos propiùs ſpectant, quæ nos in Tui, Vir chariſſime, admirationem rapiunt, tacitus nullo modo præterire poſſum. Quòd cœnaculum condideris, concordiam promovendi ſtudium, quòd libris Biliothecam inſtruxeris, erga literas voluntatem declarâſti; ſed quòd ſponte, vivus, tuo Te patrimonio exueris, & medicis uſibus aſſignaveris, hoc propè inauditum Te feciſſe, ipſi cum admiratione obſtupeſcimus, vix fidem adhibebunt poſteri. Hìc igitur loci, hos intra parietes, memoriam Tui jucundiſſimam

diſſimam nulla unquam delebit ætas; quoties enim illuceſcet feſtus hic dies, toties de tuis maximis beneficiis, toties de tuis inventis utiliſſimis, toties de tuâ pœnè incredibili liberalitate grata Medicorum familia prædicabit.

ETSI hoc ſolenni gratulationis die nihil luctuoſum & acerbum, nihil non proſperum & jucundum Vos audire conveniat, tamen in memoriam communium miſeriarum incurrendum eſt, nè *Hamæus*, vivus & moriens Veſtrûm memor, oblivione prætermitti videatur. Cùm enim graves Temporum & varii veſtri caſus hoc *Lycæum*, *Linacri* conſiliis ſtabilitum, *Caii* benevolentiâ amplificatum, & *Harvæi* famâ undique honeſtatum, in rerum omnium cerſetamen atque diſcrimen perduxêre; non ſemel atque iterum, ſed ſæpiùs; non in uno aliquo, ſed in omni benefaciendi genere

 Patronus

Patronus adfuit, ſubſidium attulit *Hamæus.* Quicquid vetuſtate erat collapſum, quicquid incendio vaſtatum, quicquid temporis acerbitate abreptum, quicquid denique rude & imperfectum, id omne vel reſtituit, vel perfecit, vel novo ſplendore exornavit *Hamæi* munificentia.

Dum noſtrorum anteceſſorum veſtigiis diligenter inſiſtimus, & totius vitæ curſum animo & memoriâ repetimus; quo labore & virtute, quibus gradibus alii tantam famam & dignitatem aſſecuti ſunt, magnâ cum voluptate obſervamus. Alios autem, quorum ſingulos proceſſus notare non licet, cum admiratione attoniti intuemur, quòd ad maximam amplitudinem non aſcendere videntur, ſed evolare. Talis erat *Johannes Radclivius*, cujus ingenium, ut *Apellis Venus*, ſimul adſpectum & probatum eſt. Inerat quippe ei naturale in

dijudi-

dijudicando acumen, ſingularis in præcipiendo facultas, & mira quædam in expediendo felicitas; erat in delectu remediorum peritus, in compoſitione aptus, in uſu parcus, ita tamen parcus, ut nè quid deeſſe, nè quid deſiderari videretur.

Quid de iis dicemus, qui neſcio quandam ignominiæ notam tali medico inurere, & infami ignorantiæ labe memoriam nominis dedecorare velint? Suis iſti perfruantur erroribus, ſi qui parùm eruditi, at non parùm arrogantes, de noſtrâ arte tenuiter, de ſe magnificè ſentientes, ad eundem gloriæ apicem ſe putent evaſuros, quem pœnè diffiſi ſunt attingere vel periſſimi. Brevem quidem & inſtabilem laudem rudes & ignaros aliquos adeptos eſſe non diffitemur; ſed famâ inclareſcere diuturnâ, & uſque ad extremum vitæ curſum medicorum Principem regnare, non

modò

modò vulgi opinionem conciliare; ſed aſſenſum prudentiorum cogere, ſine literis, ſine quâdam doctrinæ conformatione, prorſus incredibile videtur. Tanto igitur Viro, cui farraginem medicamentorum exterminatam, cui dignitatem Artis amplificatam, cui largiora quotidianæ laudis & laboris incitamenta debemus, huic mortuo nè denegemus honores, quibus vivus fruebatur ampliſſimis, cui ſuum ſemper conſtabit decus, quamdiu apud Vos medicinæ, apud *Oxonienſes* literarum vigebit gloria.

Quòd ſi Vir ille eximius, leviter, uti quidam opinantur, diſciplinis inſtructus, ſummum inter ſui temporis medicos nomen conſecutus ſit, qualem & quantum fuiſſe eum exiſtimemus, cui par ingenium, doctrinam longè uberiorem, acerrimum ſcientias inveſtigandi ſtudium acceſſiſſe uno omnes ore confitentur? Talem equidem

dem contemplanti, qualem vix ſingulis ætatibus effloruiſſe accepimus, ſtatim mihi in animo occurrit clariſſimi *Freindi* imago. De quo Viro dicturus, unde mihi in tantâ rerum copiâ dicendi initium ſit capiendum, hæreo. An à ſtudiis politioribus, quibus à pueritiâ mirificè fuit deditus? An à ſeverioribus, quibus increſcente jam ætate vehementer incubuit? In utriſque aſſiduus, non modò in his, quibus nullo modo carere, ſed in illis, quibus non ſatis commodè carere potuit, elaboravit. Quantam Medicinæ operam navavit, immortalia loquentur ſcripta, eâ doctrinæ copiâ referta, eâ ſtyli elegantiâ exornata, ut legentium animos majore, dicam, fructu expleverint, an voluptate. De ſingulis quid verba faciam, coram Vobis præſertim, quorum & oculis omnia pervolvuntur avidiſſimis, & pœnè ſenſibus infixa hærent abditiſſimis? An id igitur tacebo, cujus vel

recor-

recordatio Vobis est gratissima? An omni potius laude dignum prædicabo, cujus Vos ipsi participes illius vigiliis & laboribus lucem & dignitatem attulistis? Eam volo variolas medendi methodum, (novam, dicam, vel ab eo renovatam?) à linguis malevolorum tandem vindicatam, in humani generis salutem vestris sub auspiciis stabilitam.

At neque suis ille scriptis satis se Medicinæ fecisse arbitratus est, nisi artis studiosos consiliis adjuvaret, &, quantum fieri potuit, sui similes efficeret. Quibus cùm apertum fuit pectus, omnesque animi cogitationes lubenter communicatæ; tum quicquid ingenii acumen investigare, quicquid usus & exercitatio coacervare potuit, id omne de suo penu depromere, & in communem efferre fructum gaudebat. Indignum quippe homine ingenuo liberoque

que judicabat, ea velle celare quæ plurimis uſui eſſe poſſunt & ſaluti, eáque tanquam divina quædam remedia venditare, quæ, cùm in lucem fuerint prolata, vel maximè uſitata novis involucris obtecta, vel nullius eſſe pretii, vel omninò periculoſa reperiuntur. Has malas omnique odio proſequendas non modò averſatus eſt artes, ſed nè ulla quidem tanti dedecoris in eum caderet ſuſpicio, vitæ prohibebat integritas. Quòd ſi ſumma eruditio, quò pluribus ſtipata virtutibus, eò ſit amabilior, ſive hominis fidem ſpectetis ſingularem, ſive apud ſuos morum comitatem, ſive denique apud omnes probitatem, neque in ullo unquam gratior enituit, neque pulchrior. Novit enim Vir experientiſſimus, utcunque cætera non deſint, neminem in hoc ſtadio diu cum laude verſari, cujus non ingenio & doctrinæ mores accreſcunt integerrimi. His artis præſidiis armatus, his dignitatis

ornamentis inſtructus, quid mirum, ſi ad ſummum Medicinæ culmen facilem ſibi paraverit aſcenſum? Nullâ ille aſſentationis labe contaminatus, & ab omni notâ illiberali immunis, honeſtâ accenſus ambitione, ſuæ virtutis fretus adminiculis, rarò bene merentibus interclusam ſibi ad opes, ad honores viam patefecit. Non præpotentium amicitias ambivit, ſed bonorum conciliavit; quos cùm ſummè dilexit, & ab iis viciſſim diligebatur, tum quale fuit illius erga Vos ſtudium, quanta benevolentia, minimè dubium eſt vel obſcurum. Quis enim veſtris utilitatibus inſervire, quis dignitati proſpicere, quis laboranti authoritati ſuccurrere, aut ardentiùs cupiebat, aut majori unquam animi contentione enitebatur? Id nimirùm animo propoſuit, id unicè curavit, ut ſe ſuis civibus utiliſſimum, ut Veſtrî amantiſſimum ad ſupremum uſque diem præſtaret. In medio enim offi-

ciorum

ciorum curſu, quibus nulla unquam dabatur intermiſſio, heu! nimis brevi abreptus, nobis ſui flebile deſiderium, poſteris memoriam nominis ſempiternam, omnibus exemplum imitatione digniſſimum reliquit.

Sentio me in Viri dilectiſſimi laudes latiùs quam putabam excurriſſe, &, dum meæ velim obſequi voluntati, vobis ne ſim moleſtus, minimè cogitâſſe. Sentio perpaucos, quos commemoravi, parùm pro ſuâ dignitate celebratos, multos leviter ſalutatos, plures à me penitùs intactos relinqui; quorum omnium in tantâ copiâ laudibus immorari, neque ſi vellem, poſſem, neque, ſi poſſem, temporis concederent anguſtiæ. Quòd ſi Majorum facta memoriâ repetentem amiſſarum virtutum aliquo modo tangat deſiderium, veſtras, Viri ampliſſimi, ſpectatiſſimas contemplanti in

immenſum animus prorumpit gaudium, neque ſe cohiberi ſinit. Quanta enim ſeſe aperit gratulandi materies, cùm in hoc literatiſſimorum hominum conſeſſu, tot undique Anteceſſorum æmulos, & omnia laude digna præſtantes intueri poſſim? Quos inter, Te, Præſes digniſſime, omni eruditionis genere abundantem, omni officiorum laude cumulatum, quis non lubens profitetur? Eximias, quibus inclareſcis, virtutes mihi non eſt in animo recenſere; at recens hoc tui erga nos amoris pignus neque fas eſt ſilentio præterire, quòd tui imaginem inter clariſſimos artis principes jam tandem collocari ſinas. Nobis præſentibus pergratum cùm feceris, neque Poſteris minùs conſuluiſti, qui, tua cùm pulchrè facta recoluerint, hâc ſe alent & recreabunt ſimilitudine, quibus jucundiori aſpectu frui non licet. Nos Te vivum intueri, Tecum colloqui & conſilia miſcere,

Te noſtris commodis invigilantem nobis diu intereſſe, patere exoptemus; ſemper honoratum, ſemper charum, eò chariorem, quò diutius præeſſe dignaris. Vos autem, Socii præſtantiſſimi, qui quotidianos editis virtutis & doctrinæ fructus, pergite, uti facitis, quam vitæ rationem laudabiliter inſtituiſtis, exemplo ornare, authoritate protegere, & ab omni opprobrio vindicare. Pergite ſaluti civium proſpicere, dignitati veſtræ conſulere, hanc denique Medicinæ arcem, tanquam Palladium veſtræ fidei commiſſum, acriter defendere; quam ſummâ concordiâ & benevolentiâ munitam non malevolorum convitia, non effrænata Empiricorum audacia, extorquebunt.

F I N I S.



BOOKS printed for W. INNYS *and* R. MANBY, *Printers to the* Royal Society, *at the West-End of St.* Paul's.

1. SAMUELIS DALEI, M. L. Pharmacologia, ſeu Manuductio ad materiam Medicam: in qua Medicamenta officinalia ſimplicia, hoc eſt Mineralia, Vegetabilia, Animalia eorumque Partes in Medicinæ Officinis uſitata, in Methodum naturalem digeſta ſuccincte & accurate deſcribuntur. Cum Notis Generum characteriſticis, Specierum Synonymis, Differentiis & Viribus. Opus Medicis, Philoſophis, Pharmacopœis, Chirurgis, &c. utiliſſimum. Ad calcem adjicitur Index duplex: Generalis alter, Nominum, &c. alter Anglico-Latinus; in gratiam Tyronum. Tertia Editio, multis emendata & aucta.

2. Johannis Freind, M. D. Sereniſſimæ Reginæ Carolinæ Archiatri, Opera omnia medica, folio.

3. A new Eſſay on the Nerves, and the Doctrine of the animal Spirits rationally conſidered; ſhewing the great Benefit and true Uſe of Bathing, and drinking the *Bath* Waters, in all nervous Diſorders and Obſtructions: With two Diſſertations on the Gout and on Digeſtion, with the Diſtempers of the Stomach and Inteſtines. By Dr. *Kinnier*, Phyſician at *Bath*, and Fellow of the Royal College of Phyſicians at *Edinburgh*. The ſecond Edition, with an Appendix, giving an account of

ſome

ſome alterative Medicines not commonly in Uſe; and their Effects confirm'd by practical Caſes.

4. A natural Hiſtory of Birds, illuſtrated with 205 Copper Plates, drawn from the Life, and exactly colour'd by the Author, *Eleazar Albin*. To which are added, Notes and Obſervations, by *W. Derham*, D. D. and F. R. S. 2 Vols. 4*to*.

5. A natural Hiſtory of *Engliſh* Inſects, illuſtrated with 100 Copper Plates, curiouſly engraven from the Life; and exactly colour'd by the Author, *Eleazar Albin*. To which are added large Notes, by *W. Derham*, D. D. and F. R. S.

6. *Synopſis Medicinæ*: or, A ſummary View of the whole Practice of Phyſick. Being the Sentiments of the moſt celebrated Authors in all Ages, relating to Diſeaſes, their Cauſes and Cures; with moſt Caſes in Surgery and Midwifery. To which are added, ſome Obſervations very rare and uncommon; and a curious Treatiſe of all Sorts of Poiſons. In 2 Vols. By *John Allen*, M. D. and F. R. S. 8*vo*.

7. A Treatiſe of the Venereal Diſeaſe: In ſix Books; containing an Account of the Original, Propagation and Contagion of this Diſtemper in general. As alſo the Nature, Cauſe and Cure of all Venereal Diſorders in particular, whether local or univerſal. Together with an Abridgment of the ſeveral Diſcourſes which have been written upon this Subject, from the firſt Appearance of the Venereal Diſeaſe in *Europe* to this Time, with critical Remarks upon them. Written originally in *Latin* by *John Aſtruc*, Phyſician to his preſent Majeſty the King of *France*, *Auguſtus* II. late King of *Poland*, and to his Highneſs the preſent Duke of *Orleans*;

leans; and now tranſlated into *Engliſh* by *William Barrowby*, M. B. 2 Vols. 8*vo*.

8. A Treatiſe of the Foſſil, Vegetable, and Animal Subſtances that are made uſe of in Phyſick, containing the Hiſtory and Deſcription of them; with an Account of their ſeveral Virtues and Preparations. To which is prefixed, An Enquiry into the conſtituent Principles of mixed Bodies, and the proper Methods of diſcovering the Nature of Medicines. By the late *Steph. Fr. Geoffroy*, M. D. Chemical Profeſſor in the Royal Garden, Member of the Royal Academy of Sciences, and Fellow of the Royal Society. Tranſlated from a Manuſcript Copy of the Author's Lectures read at *Paris*. By *G. Douglas*, M. D. 8*vo*.

9. A Courſe of Chirurgical Operations, demonſtrated in the Royal Garden at *Paris*. By Monſ. *Dionis*, chief Surgeon to the late Dauphineſs, and to the preſent Dutcheſs of *Burgundy*. Tranſlated from the *Paris* Edition. The ſecond Edition. 8*vo*.

10. The Hiſtory of Cold Bathing both ancient and modern. In two Parts. The firſt written by Sir *John Floyd* of *Litchfield*, Knt. The ſecond treating of the genuine Uſe of hot and cold Baths. Together with the wonderful Effects of the *Bath* Water drank hot from the Pump, in decay'd Stomachs, and in moſt Diſeaſes of the Bowels, Liver, Spleen, &c. Alſo proving that the beſt Cures done by the cold Bath, are lately obſerv'd to ariſe from the temperate Uſe of the hot Baths firſt. To which is added, An Appendix. By *Edward Baynard*, Fellow of the College of Phyſicians, *London*. The ſixth Edition. 8*vo*.